



Disputatio juridica inauguralis de evictionibus

<https://hdl.handle.net/1874/341641>

DISPUTATIO JURIDICA
 INAUGURALIS.
 DE
EVICTIONIBUS.
 QUAM.

AUXILIANTE SOLO DEO OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici D. Rectoris

D. ANTONII MATTHÆI,
 Juris Antecessoris Primarii In Illustri Academia
 Rheno Trajectina,

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Consultissima
 Facultatis Juridicæ Decreto*

Pro gradu Doctoratus & privilegiis in U. J. consequendis.
Publicè defendet

LUCAS vande POLL, Ultrajectinus.

Ad diem 26 Octobris, horâ locoque solitis.



ULTRAJECTI,
 Pro EVERARDO ab EEDE, Bibliopola
 ANNO clæ dc LIV.



NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS CONSULTIS-
SIMISQUE VIRIS,

DD. CONSULIBUS & SENATORIBUS REIPUBLICÆ ULTRAJECTINÆ; & Eiusdem ACADEMIÆ CURATORIBUS, ac PATRONIS, Eorumque SECRETARIO Fidelissimo; SUMMIS LITERARUM FAUTORIBUS.

Inaugurale hoc Juris exercitium,

Submissè dicat consecratque

LUCAS vande POLL;

ULTRAJECTINÆ
L. EVERARDO & F. DE
ANNO 1710. die 12. Julij.

DISPUTATIO JURIDICA
 INAUGURALIS,
 DE
EVICITIONIBUS
 THESIS I.



Victio est ipsius rei possessionisve per iudicium vindicationis, vel aliud simile, ablatio. Colligi hæc definitio nullo negotio potest ex *l. 16. §. 1. l. 24. l. 34. §. ult. l. 57. ff. de evict. l. 3. C. eod.* Eadem, opinor ll. respexit Cujacius in *parat. C. h. t.* cum evictionis nomine significari ait, in iudicio in rem plenam & efficacem victoriam ejus qui agit adversus emtorem, vel ejus etiam, cum quo agit emtor: (nam & hoc modo, & generalius, si venditor tradere non potuerit, aut litis æstimatio ablata sit, res evicta dici potest, *d. l. 16. d. §. l. 21. §. 1. l. 29 §. 1. l. 33. ff. eod. l. 3. ff. de dol. mal. & met. except.*) Plus itaque est evincere, quam vincere; unâ literâ significationem augente.

I I.

Ablationem cum dicimus, non quamlibet intelligimus, sed justè factam. Quid enim, si quis emtor fordibus vel stultitiâ judicis rem amiserit, æquumne erit evictionis obligationem contrahi? Non magis sanè, quam si vel vi majore, vel casu fortuito res perierit. *l. 51. ff. h. t. l. Emtore 8. l. si non injuriâ 15. l. si quis 26. C. eod. l. ult. C. de act. emt. Cujac. tract. 6. ad African. in l. 24. ff. h. t.* At verò in ipsum judicem læso dabitur regressus. *pr. l. de obl. qua quas. ex del. l. filius familias 15. ff. de judic. Sichard. ad d. l. 8. n. 24.* Quod tamen nostris moribus, saltem si per imperitiam malè judicatum sit, convenire nequaquam dixerim. Vide *Vinn. & Groenew. ad d. pr. l. Idem de Flandrorû jure testatur Burgund. tract. de evict. c. 81. n. ult.*

I I I.

Evincitur res maximè quidem rei vindicatione seu in rem actione

Etione. Cujac. d. tract. 6. ad Afric. in l. 46. ff. h. t. sed & interdum com-
muni dividundo, vel familiae erciscundae judiciis. l. 34. §. 1. ff. h. t.
quae mixta videri vult Imp. in §. quadam l. de act. & generaliter ex
quocunque iudicii genere, per quod habere non licet, evictionis
actio nasci potest, l. 45. §. 1. ff. de leg. 1. d. l. 34. d. §. & l. seq. ff. h. t. Cui
consequens est, si de usu, vel usufructu, vel de quo alio rei iure,
veluti pignore, hypothecâ, emphyteusi, vel & de nudâ possessione
mota fuerit controversia, idem esse dicendum. l. 15. §. si usufructus
i. l. vacca 43. l. fundum 46. l. si rem 62. §. ult. ff. h. t. l. 3. §. 9. & 23. C. cod.
l. stipulatio 38. §. 3. ff. de V. O. ubi Cujac. Giph. C. h. t. p. 464. Berlich.
part. 1. concl. 24. n. 53. Diss. quantum ad possessionem Burg. d. tract.
c. 5. n. 5.

I V.

Fundo vendito, si actione confessoriâ servitus praedialis, vel fi-
nium regundorum iudicio fines evincantur, rem nihilominus ha-
bere licet. An ergo haec iudicia evictionis actionem non pariant?
Non parere verius est, nisi tamen venditor fundum vendi liberum,
aut demonstratis finibus, neminem intra eos ingressurum nomina-
tim dixerit, l. cum venderes 59. ff. de contr. emt. l. cum fundus 48. & l.
pen. ff. h. t. l. si fines 10. C. cod. Cuj. 2. observ. 20. Bronchorst. 2. assert. 64
Alioquin emptori actio quanto minoris, vel ex emto parata erit.
l. 61. ff. de adil. edict. l. sed si quid 15. §. 2. ff. h. t. & passim tit. ff. de a-
ction. emt.

V.

Præcipuus contractus, in quo praestatur evictio, est emtio; un-
de ejus passim in evictionis materia fit mentio: non tamen ibi dun-
taxat, sed in aliis quoque contractibus negotiisque emtioni cogna-
tis praestanda est: ut in permutatione l. 1. C. de rer. permut. l. 29. C.
h. t. locatione l. si quis domum 9. ff. locat. datione in solutum, utili sc.
ex emto datâ actione l. 4. C. h. t. Nec adversantur l. si quis aliam 46:
ff. de solut. l. libera 8. C. de sent. & interl. Cuj. 19. obs. 38. Conf. Fab.
Cod. Sab. 8. tit. 3 r. def. 28.

V I.

Eo amplius in rerum communium, & hereditatis divisione pra-
stari eam æquum est. l. 1. & 7. C. commun. utr. jud. l. si familia 14. C.
fam. ercisc. l. si cum venditor 66. §. ult. ff. h. t. nisi tamen uni ex cohere-
dibus

dibus evicta res prælegata fuerit, vel dividentes evictionis periculum non ignoraverint, aut aliter convenerit. *l. cum pater. 77. §. evictis ff. de leg. 2. d. l. 7. & 14.* Quod verò nonnulli & hunc casum excipiant, quo pater ipse disponendo inter liberos divisionem fecit, non placet; in primis si cui eorum ob evictionem salva non foret legitima. *arg. d. l. 77. d. §. junct. l. si filia 20. §. 3. ff. fam. ercisc. l. scimus 36. C. de inoff. testam. Cyn. ad l. si cogitatione 21. C. fam. ercisc. Fach. 6. contr. 68. Burg. d. tract. cap. 14. n. 14. & seqq. Gomez. 2. var. res. 2. n. 34.*

V I I.

Ab emtione planè aliena est donatio: meritò igitur in eà evictionis præstationi locus non est. *l. Aristo 18. §. ult. ff. de donat. nisi stipulanti promissum sit, nudo pacto non sufficiente l. 2. C. h. tit. ubi Don. Giph. C. eod. p. 463. Diff. Caball. de evict. §. 3. n. 3.* Nec probari potest vulgaris distinctio, utrum à promissione an à traditione inceperit donatio. *Bronchorst. cent. 2. assert. 70. Vinn. 2. sel. quest. 8.* Diff. post gloss. *Sichard. ad l. 1. C. de j. dot. n. 12. & ad d. l. 2. n. 9.* Excipitur quidem à Giphanio aliisque donatio remuneratoria, quasi saltem in eà evictionis nomine donator teneatur, sed sine lege loquentes sequi erubescimus. Latè *Burgund. d. tract. c. 18.*

V I I I.

Dos quoque donationis instar est. *l. 20. C. de donat. ant. nupr.* Si tamen res aliena marito in dotem data sit, præstanda erit evictio juxta *l. 1. C. de j. dot. l. un. §. 1. C. de rei ux. act.* Quamvis autem nostrates veras dotes non agnoscant, evictis tamen bonis in subsidium matrimonii datis, idem respondendum esse, ni fallor, nemo negaverit. Sed quæritur, an in legato [quod itidem donatio] ob evictionem teneatur heres? Tenetur, si genus legatum sit, non item, si species *l. heres § 8. ff. h. t. l. si à substituto 45. §. 1. & 2. l. si domus 71. §. 1. ff. de leg. 1. l. qui concubinam 29. §. si heres ff. de leg. 3. Sichard. ad d. l. 2. C. h. t. in fin.* Quid si fundus alienus vasallo in feudum concessus sit? Præstandam evictionem probant. *c. 1. de investit. de re alien. fact. & c. un. si de feud. vasall. ab aliq. interpell. fuer.*

I X.

Cæterum, ut ad emtione redeamus, ea est non solum rerum singularum, sed & universalium, hereditatis puta: an ergò hoc quoque casu evictionis contrahitur obligatio? Ita est; si modo ipsa

evincatur hereditas : nec enim alea emitur , inquit Jctus , in l. 7. ff. de hered. vel act. vend. tamen si eam alex comparare videatur , Sand. decis. 3. tit. 4. def. 15. Si autem singulæ res hereditariæ auferantur , non tenetur venditor , cum nihilominus hereditas subsistere possit. l. 1. C. h. t. l. 2. pr. ff. d. tit. de hered. vend. Sicbard. ad d. l. 1. n. 4. Perez. C. h. t. n. 7. Nec aliud dicendum , si peculium servi vel nomen debitoris venditum sit. l. 5. l. 74. §. ult. ff. h. t. l. si nomen 4. ff. de hered. vel act. vend. Vinn. d. quest. 8.

X.

Sed quid si creditores pignora distraxerint ? Siquidem jure communi vendiderint , cavendo de evictione , præstare eam tenentur : secus , si jure creditorum , ut fieri solet. l. 1. §. 2. C. credit. evict. pign. non deb. l. ex emto 11. §. 16. ff. de act. emt. l. etsi is 10. ff. de distr. pign. Sed hoc casu , re evictâ , ipse debitor ab emtore conveniri potest utili ex emto actione ad recipiendum pretium , quasi ipse vendidisse videatur cui pretium solutum profecit ad liberationem. arg. l. si plus 74. §. 1. ff. h. t. l. si ob causam 13. C. eod. gloss. ad l. rescriptum 12 §. 1. ff. de distr. pign. Cujac. parat. C. credit. evict. pig. Argentr. ad conf. Brit. art. 242. Coler. de process. exec. part. 3. cap. 9. n. III. Idem erit , si ab executoribus jussu judicis capta pignora distrahantur. d. l. 74. d. §. d. l. 13. Conf. Costal. ad l. 50. ff. h. t.

X I.

Illud etiam quæritur , si jure προμηθως seu retractus gentilicij proximus cognatus retrahat fundum venditum , an emtori præstanda sit evictio ? Negandum hoc esse verâ ratione ostēdit Cl. D. Ant. Matthæus in nupero tract. de aut. lib. 1. c. 14. n. 12. Cui adde Gomez. 2. var. res. 2. n. 40. Perez. C. h. t. n. 8. Quantum ad retractum conventionalem , vix est ut ea quæstio locum habeat , quoniam actiones , quæ ex pacto de revendendo competunt , in personam sunt , neque venditori adversus tertium possessorē dantur. l. 2. C. de pact. int. emt. & vendit. l. actionum 2 §. ff. de O & A. Nec satis cauti sunt qui rei vindicationem venditori concedunt. Gail. 2. obs. 16. n. 3. Myns. 6. obs. 69. Berlich. part. 2. concl. 2. n. 13. Diff. Tirag. de retract. convent. §. 1. gl. 7. n. 7. Menoch. conf. 63. n. 14. Covarr. 3. var. resol. 8. Argentr. ad Brit. art. 266. c. 8. n. 13. Conf. Fach. 2. contr. 15.

Fin-

X I I.

Fingamus plures res venditas, an quot sunt res, totidem de evictione sunt actiones? Quidni? nec refert separatim singulae, an simul omnes uno instrumento comprehensae, unoque pretio venierint. *l. cum plures 72. ff. h. t. l. etsi uno 33. ff. de act. emt. Cujac. tract. 8. ad Afric. l. 47. ff. h. t.* Non solum etiam rei totius, sed & partis evictae nomine agi de evictione potest. *l. 1. l. bonitatis 13. l. si fundo 53. ff. h. t. l. 16. C. eod.* Nec adversatur quod nave vel domo venditae de evictis tabulis vel caementis, item, vendito mancipio, de ejus parte evicta non teneri venditorem respondit Paulus in *l. si nave 36. & l. si dictum 56. §. 2. ff. h. t. gloss. & Costal. ad l. 1. ff. eod. Cuj. ad l. malum 242 de V. S. Pac. §. ant. 34.*

X I I I.

Porro controversia rei mota emtori, laudare is auctorem, litemque eidem nunciare debet. *l. 49. l. 51. §. 1. l. 53. §. 1. l. 63. ff. h. t. l. 7. & seqq. C. eod.* Tum venditoris est liti assistere, & auctoritatem defensionemque evictionis nomine emtori praestare, quod voce Longobardica dicitur *garantire*, vel *guarantire*, c. 1. in fin. de leg. *Corrad.* Etiam heredes auctoris eo nomine tenentur, quibus, si plures sint, denunciandum est omnibus *l. si rem 62. §. 1. ff. h. t.* Sed de eo dubiratur, an & scienti quaestionem moveri denunciandum sit? Ita videtur. *arg. l. Emptore 8. l. si parentes 20. C. h. t. Burgund. d. tract. c. 59. n. 4. & 5. & Caballin. §. 3. n. 4. Fach. 2. contr. 35. in fin. Diss Dyn. in c. eum qui 31. de reg. jur. in 6.*

X I V.

Litem emtor denunciavit, libellum verò contra se oblatum aliaque iudicii acta venditori simul non misit, eritne nullius momenti denunciatio? Quid pragmatici hic sentiant, non curo. Certè transmissio ista nullo juris articulo firmari potest. Quin sic putò, venditorem simplici facta denunciazione, satis, quid sibi emtor velit, intelligere. *arg. l. pen. ff. ad exhib. junct. l. si cum quaestio 17. C. h. t. Ang. in l. emtori 28. C. eod. Perez. eod. t. n. 33. Dissi. Treutl. 2. disp. 2. th. 7. lit. a. in fin. Fach. 2. contr. 35. Aliter Gomez. d. cap. 2. n. 39.*

X V.

Sed quo tempore denunciandum? De eo Pomponius in *l. si rem 29. §. ult. ff. h. t.* Quolibet tempore, inquit, venditori renunciari potest,

potest, dum tamen ne prope ipsam condemnationem id fiat. Ergo
& post litem contestatam, modò (quod placet *Gomezio d. loc.*) an-
te conclusionem in causâ, ut vocant. Vehementer primâ specie
repugnat, *l. qui concubinam 29. § pen. ff. de leg. 3. de qua vide Pat. 9.*
ant 72. Tuld. C. h. t. n. 11. A liter Duar. in l. 8. C. eod.

X V I.

Auctor vero, cui denunciatum, si alterius fori sit, sequi tenetur
iudicem emtoris. *l. venditor 49. ff. de jud.* Quin ne Clericum qui-
dem ad suum iudicem revocare posse causam verior DD. est opi-
nio *arg. d. l. 49. quam & in Camerâ Imperii obtinuisse narrat Myns.*
1. observ. 22. in fin. adde Fachin. 2. contr. 38. & ibi all. Cæterum an
idem de fisco venditore respondendum sit, qui hoc tantopere ex jure
nostro disputant Interpp.; nodum in scirpo quærunt; cum is qui
rem alienam à fisco emit, statim securus sit, *l. 2. & 3. C. de quadr.*
prescr. §. ult. l. de usuc. Nec reclamat l. 5. D. de jur. fisco.

X V I I.

Re evictâ duæ præcipue emtori sunt actiones; ex emto, & ex
duplæ stipulatione, *l. si tibi 25. C. h. tit. & passim D. eod.* Ex emto
agitur in simplicium & id quod interest, id est ad pretium restitu-
endum & quicquid præterea evictionis nomine abest; lucrû etiam in-
terceptum, *l. 8. l. 15. pr. l. 16. l. 51. §. non mirum l. 60. l. 66. §. ult. l. 70*
ff. h. t. l. Titius 43. §. ult. ff. de act. emt. l. 9. & 17. C. h. t. Ex duplæ sti-
pulatione agi solet in duplum, si illud promissum sit, quod sit, si
fortè res pretiosa, veluti, margarita, vestivæ serica, & ex edicto
ædilium, si homo veneat. *l. Emtori 37. §. 1. ff. h. t. l. 31. §. quia adsidua*
20. ff. de adil. edict. Imò, etsi promissum non sit, ex emto tamen
duplum petitur. *l. si dupla 2. ff. h. t. d. l. 31. d. §.* De conciliatione
consule *Cuj. par. C. h. t. Giph. C. eod. pag. 466.* Sunt & stipulatio
simplicæ, *l. hoc jure 27. ff. eod. & alia remedia, de quibus Cuj. d. loc.*
Perez. C. h. t. n. 15.

X V I I I.

Sed an & ultra duplum, stipulatione tripli vel quadrupli emtor
sibi consulere potest? Potest *l. si dictum 56. & arg. l. si plus 74. ff. h. t.*
l. si curator 5. ff. de jur. fisco. Anceps autem hic oritur quæstio, sitne
hoc ipsum jus mutatum ex mente Imp. in *l. un. C. de sent. que pro eo*
quod inter: prof. Et licet ex ead. lege hanc & similes pœuas conven-
tiona-

tionales dupli sine coarctandas scripserint magni nominis auctores, Alciatus tract. ad d. l. un. cap. 11. n. 4. Menochius 2. arb. cas. 260. n. 16. & seqq. Horomannus disp. de eo quod interest cap. 4. n. 13. Giphanius ad eand. l. pag. 264. & seq. & C. b. t. pag. 465. Burgundus d. tract. de evict. c. 87. n. 2. rectè tamen ab his divortium fecere Azo in summ. Cod. ad d. l. Cujacius d. tract. ad Afric. 8. in l. 44. ff. de act. emt. & 11. obs. 4. & 16. obs. 34. Donell. 26. com. 4. Rebuffus ad d. l. un. n. 546 & seqq. Fach: 1. contr. 50. Perez. in C. ad eand. l. n. pen. & ult. Quæ verò in contrarium concessit Molinaus tract. de eo quod interest n. 159. & seqq. tanti non sunt ut nos ab hac sententiâ divellant.

X I X.

Si forsan à iudice pro emtore pronunciatum sit, non leviter ambigunt plerique, uter sumtus litis sufferat, emtorne an venditor? Jure nostro de iisdem neutrum regulariter tene ri, verius est, cum victus victori in expensas condemnandus sit, l. properandum 13 §. five autem C. de judic. Victus est actor, ipse ergo sumtus sufferet. Sed finge, actori justam fuisse litigandi causam, & (ut hodiè non rarò sit) expensarum factam esse compensationem; rem verò emtori evinci non potuisse, hic puto à venditore, nisi aliter cautum sit, non esse litis sumtus refundendos; secus, si emtor succubuerit, arg. l. 17. C. b. t. l. fidejussor 15. ff. de dol. mal. & met. exc. Cujac. ad l. qui Roma 102 ff. de V. O. Giph. d. pag. 466. Perez. C. eod. n. 31. Treuil. d. disp. 2. th. 8. lit. d. Diff: Gomez. d. cap. 2. n. 47. Burg. d. tract. cap. 93. & seq. Fach. 2. cont. 39. Caball. d. tract. §. 3. n. 146.

X X.

Postremò videamus quibus potissimum casibus actio de evictione cesset. Dictum th. 2. casum fortuitum, imprudentiam iudicis, vim majorem emtori à venditore non præstari. Hinc dubitatum, si fundus venditus à Principe publicatus sit, an evictionis nomine venditor obligetur? Hoc tale est ut inter ipsos JCTos non conveniat. Negat enim Paulus in l. Lucius 11. ff. h. t. At contra Africano saltem pretium emtori restituendum placuit L. si fundus 33. ff. locat. Antinomiali præstat agnoscere cum Hotomanno. In conciliando operam lusit præter glossograph. in d. l. 11. Pac. cent. 5. ant. 8. quem in explicat. d. l. 33. sequitur Vinn. ad §. cum autem 3. I. de emt. & vendit. Aliter Cuj. in d. tract. 8. ad Afric. in d. l. 33. Et licet

licet Africanum fortè ut æquitate blandientem judicando secuti
sint Galli, *Mornac. ad d. l. 11.* Pauli tamen responsum longè
verius existimo, suadente illud *d. §. cum autem l. 7. & 8. & tot. tit. ff.*
& C. de peric. & com. rei vend. Diss. Fab. 2. conj. 4. Perez. C. d. t.
n. 4. Burg. d. tract. c. 74. n. ult.

X X I.

Culpâ quoque ipsius emtoris cessat actio, si res ei auferatur
vicio factoye suo. Exempla suppeditant *l. 19. §. 1. l. 51. §. 2. l.*
55. & 56. §. 1. & 3. l. 63. §. ult. & l. ult. ff. h. t. Illud 'itidem em-
torii imputandum, si sciens rem alienam emerit. *l. si fratres 7. C. com.*
utr. jud. l. si status 18. C. h. t. Giph. C. eod. pag. 467. Burg. d. tract.
c. 23. n. 2. An & ommissa litis denunciatio actionem impedit? Om-
nind; nisi causa ita conclamata fuerit, ut nec emtor vincere pos-
set, si ipse auctor defenderet. *arg. l. si fundo 53. §. 1. ff. h. t. l. ex emto*
11. §. emtozem 12. ff. de act. emt. Gomez. d. cap. 2. n. 39. Fab. C. Sab. t.
de evict. def. 8. Zoes. ff. h. t. n. 22. VVesenb. t. eod. n. 5. Fach. 2. contr. 37.
Cabal. d. tract. §. 3. n. 74.

X X I I.

Cessat item hæc actio re nondum evictâ, & si forsan motâ jam
lite evinci possit *l. si plus 74. §. 2. ff. h. t. l. 3. & 18. C. eod.* Deni-
que si convenerit de non præstandâ evictione *l. cum ea 68. ff. h. t. l.*
Emti actio 21. C. eod. Quod utrumque ita intelligendum, ut ven-
ditor dolum abesse præstare debeat; si enim deceperit, casu priore
nihilominus tenetur emtori in id quod interest. *l. 30. §. si sciens 1. ff.*
de act. emt. ubi Cuj. d. tract. 8. ad Afr. posteriore verò ad pretii re-
stitutionem. l. 6. §. ult. junct. l. 11. §. ult. ff. eod. Atque ita Luteriæ ju-
dicatum, teste Papon. *11. arr. 4. art. 3.* At nos hic manum de tabu-
lâ. Addi nonnihil poterat de exceptione rei venditæ & traditæ,
quæ venditori aliisque rem evincere volentibus objicitur;
passim. ff. eod. tit. Sed pro eo subjunximus, quæ sequuntur,

COROL.

COROLLARIA.

^{I.}
Communis DD. Opinio, *Legem si
unquam C. de revoc. donat.* ad quos-
vis donatores extendentium, com-
munis error est.

^{II.}
Invito creditori etiam ante diem solvi pos-
se contra *Cujac. 23. Obs. 23.* defendi potest.

^{III.}
Minor curatorem habens sine eo & natu-
raliter & civiliter obligatur.

^{IV.}
Causa jurejurando voluntario decisa ne
quidem perjurii prætextu retractari potest.
quod an correctum sit per *l. ult. C. de reb cred.*
quær? Negandum puto.

^{V.}
Si cui feudum legaverit vasallus, adeò inu-
tile est legatum ut ne æstimatio quidem de-
beatur.

^{VI.}
Canonistæ, dum sponsalia de præsentis re-
ipsa

ipsa matrimonium esse scribunt, sibi non
leviter contradicunt.

VII.

Nequaquam probandum est, quod pla-
cuit Gregorio Pontifici in *c. ult. de condit. ap-
pos.* nempe condiciones impossibiles aut il-
licitas, in matrimonio, ut ait, appositas, dum
ne sint contra ejusdem substantiam, pro
non adjectis habendas esse.

VIII.

Non refragabitur Statutum civitatis no-
stræ *rubr. 28. art. 1.* si quis citra licentiæ li-
teras, *Octroy* vocant, observatâ juris Roma-
ni scrupulositate, coram 7. testibus testari
velit.

IX.

Consobrinorum nuptiæ apud Gelros,
Salios, Saxones prohibitæ, patrio & aliorum
jure permissæ sunt. Utrumque ratione non
caret. Sanè jure Divino licitas esse probabi-
lius est, tamen si contrarium scripserit olim
Ambrosius *Epist. 66.*

F I N I S.